



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Semita Perfectionis Purgativa, Illuminativa, Et Unitiva**

**Dirckinck, Johann**

**Coloniae Agrippinae, 1705**

**VD18 15298639**

6. Mortificatio Auditûs.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55242)

me regat, & gratia tua adjuvet; ut gustus illecebras, corpori, animæque nocivas constanter refugiam: ac momentaneam, quam in gustandis avium, piscium, & animalium cadaveribus, voluptatem experior, generosè contemnam: quò & in hac vita, gustem, quàm suavis sis Domine; & in altera, torrente voluptatis tuæ exsatiar.

*Aspirationes.*

I. In conviviis, epulisque lautioribus, imple Sapiientis monitum, & *statue cultum in gutture tuo.* Proverb. 23. 3.

II. *Pota me torrente voluptatis tuæ, ut nil jam mundanorum degustare libeat, venenata dulcedinis.* S. Aug. Med. c. 9.

III. Adjuva me, Domine; ut in cibo potuque non meam voluptatem; sed tuam voluntatem, viriumque instaurationem, ad gloriam tuam, confectar.

PASSUS VI.

Mortificatio Auditûs.

TEXTUS.

*Sepi aures tuas spinis; & linguam*

B 5

guam

*quam nequam noli audire.*  
Eccli. 28.

*Cognitio.*

**M**ortificandus est auditus : & aures spinis timoris Domini , & circum-  
spectiois muniendæ sunt ; ne per eas  
intrent verba obscœna , amatoria , scur-  
rilia , aut hujusmodi cantica . Item verba  
detractoria , adulatoria , curiosa , vana,  
aliâque quæ animam vel inficiant , vel  
graviter saucient .

*Consideratio Motiverum.*

Eò magis , haud dubiè , studiosiùsque  
aures obturandæ sunt , quò major est ho-  
stium numerus , qui per portas istas in-  
troitum in animæ domum moliuntur ; &  
inquilino aut damnum aut interitum ma-  
chinantur . Hostes illi sunt , sermones , ut  
dictum est , obscœni , detractorii , aliique  
noxii ; quæ i. Animam maculant , dum  
limacum instar , viscosa & lubrica post se  
vestigia relinquunt . ii. Anditores inescant,  
alliciunt , & seducunt , ad similia profe-  
renda , discursumque vetitum protrahen-  
dum . iii. Non rarè , præsertim apud in-  
nocentes , vulnus animæ lethiferum in-  
fligunt , vitamque spiritualem eripiunt .

O quis

O quis igitur, more serpentum, non sapiat, atque ad hujusmodi incantationes, aures obturet?

*Petitio.*

Concede mihi, Domine, aurium mearum portas, ita spinis timoris Divini & circumspeditionis munire; ut omnem verbis indecentibus, ac noxiis, cæterisque vanitatibus & nugis aditum præcludam; quò aures meæ ad eloquia divina percipienda meliùs disponantur.

*Aspirationes.*

I. *Fili mi, si te laudarint peccatores, verborum lenociniis, ne acquiescas eis. Proverb. c. 1, s. 10. Imò ne auscultes quidem.*

II. *Cave tibi, ne audiat, unde laudaris. S. Bernard. de disc. cast. Molliti enim sunt sermones ejus, super oleum, & ipsi sunt jacula. Psal. 54. 22.*

III. *Sepi, Domine, undique aures meas spinis; ut linguam nequam nunquam libenter audiam!*

